DE

PICE LIQVIDA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE III. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

LUDOVICUS ELBERS,
GUESTPHALVS.

OPPONENTIBUS:

FR. KLEIN, MED. ET CHIR. DR.
W. KORTUM, MED. ET CHIR. DR.
FR. HILBECK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI OPTIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO,

NECNON

VIRO

SUMME VENERANDO, DOCTISSIMO

E. ZIMMERMANN,

CONCIONATORI APUD HAGENSES

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

De pice liquida.

In rei medicae copiosa materia inter ea, quae jamdudum innotuerunt, remedia, et simplicitatis et vilitatis divulgationisque universalis causa majore profecto aestimatione digna, permulta inveniuntur; sed hoc quidem ipso permoti medici ab eorum usu salubri non raro depelluntur. Huc vero inprimis referenda est pix liquida, de qua in hac dissertatione accuratius distinctiusque disseremus.

Pix liquida aetate nostra vel parum vel minime in usum, antea tam frequentem, tantosque procreantem utiles effectus, vocatur, quum, summae laudes a plerisque auctoribus licet ipsi tribuatur, pro remedio nimis rudi atque ancipiti habeatur. (Conf. Vogt's Pharmakodynamik, und Sundelin's Handbuch der speciellen Heilmittellehre).

Sed adversus picis liquidae in substantia usum quamquam aliquot non minimi forte ponderis dubitationes possunt fieri, tamen, ejus quoque praeparata mitiora ac tam praestantem usum externum non ita, uti debeant, aestimari, certe nequaquam est concedendum. At sperandum haud dubie est, fore, ut, facta a partium studio

aliena aestimatione remedii efficaciae, et hoc ipsum a medicis non amplius diu negligatur, dummodo spectatus ac peritus medicus observationes, huc usque et antea et hoc ipso tempore de illius effectibus, generi humano sane salutaribus, collectas, in lucem ederet. Nova quidem ritu mortalium, etsi saepe vana atque inania, admiratione percipiuntur, dum vetera, experientia maxime probata, oblivioni atque adeo contemtui tradita omittuntur. Quod vero nemini obstare oportet, quominus, si quid habet, quo hominum salutem amplificari posse persuasum sibi est, memoriae tradat.

Pix liquida oleum est empyreumaticum, resina integra plerumque admodum permixta, et per descensum coquendis partibus resinosis complurium pini specierum comparata. Massa tenax, fusca, semiliquida, proprii odoris, ac diu, quin indurescat, mollis. Constat ex pluribus cum acido acetico conjunctis resinis atque ex colophonio, quae omnia partim in oleo terebinthinae, partim in oleo empyreumatico ad massam illam semifluidam soluta sunt. Auctore Ill. Schubarthio ex acido acetico, oleo empyreumatico, resina oleoque pineo consistit, oleum empyreumaticum vehementissime olens, saporemque exhibens amarum, acrem atque ingratum.

Igitur pix liquida pro partibus constituentibus pertinet tum ad balsama, tum ad olea empyreumatica, atque harum substantiarum medium omnino tenens, balsamum quasi empyreumaticum exsistit. (Conf. Vogt's Pharmakodynamik). — Unde eam in morbis quam diversissimis temporibus antiquioribus tam frequenter adhibitam, nec non tempore recentiori tot ac tanta momenti sane haud exigui de ejusdem usu in forma suf-

fumigationum externo observata fuisse, facile est intelligendum. Hac de re si quid accuratius cognoscere velis, lege Georgii Berkeley, episcopi, literas de aqua picea, ex Anglicis collatas et editas a Dr. Wessel-Linden, Amstelodami et Lipsiae 1745, et Alex. Crichton's Darstellung einiger Erfahrungen über die Wirksamkeit der Theerdünste bei Lungenschwindsucht. St. Petersburg und Braunschweig bei Pluchart, 1819.

Interne pix liquida potissimum adhibetur in pilulis, et ut aqua picea; externe vero ut emplastra, unguenta atque in forma suffumigationum.

Temporibus jam antiquissimis pix liquida nota erat, et quamvis plerumque ad usum tantummodo technicum forsan adhibita, non raro tamen in animalium atque hominum morbis usurpata est, quam quidem jam a Celso, medico veterum celeberrimo, remedium omnibus notum indicatam, et usum ejus tam externum, quam internum invenimus praescriptum, ac praecipue liber V. eam illo tempore saepissime in usum esse vocatam testatur. Celsus picem liquidam commendat antisepticum contra scorbutum et scabiem, interne atque externe adhibitam, ad alia apta remedia additam. Neque minus facultatem ejus adjuvandi suppurationem laudat, quamobrem in forma unguentorum haud raro adhibet. Remediis quoque purgantibus ipsam adnumerat. Temporibus dein recentioribus (anno 1744) illa ut aqua picea primum rursus in usum vocata est per episcopum Berkeley, (conf. script. ejus: Siris, or inquiries concerning the virtus of Tar-water 1744); quippe qui in Carolina de ea edoctus, postea primum, in Hiberniam reversus, in sua ipsius familia contra variolas, ex

quibus laborabat, utebatur. Hoc remedium ejusdem viri scriptis, quae in lucem edebat, ulterius innotuit, ita ut Londini, unicuique notum atque exoptatum, magna copia consumeretur. Etiamsi Berkeley hujusce remedii efficaciam justo magis forsitan laudaverit, ejus tamen probatas observationes, in scripto, quod edidit, contentas, quae aestimentur, dignas esse, neque hoc remedium, quoniam auctor nimia laude extulerit, oblivioni tradi non debere, negari haud potest.

Aqua picea primum comparata est hoc modo: aquae frigidae partes octo et picis liquidae partes duae confundebantur; quo facto bene versabantur, atque, donec pix liquida in vasis fundo subsederat, intactae relinquebantur. Deinde certae quantitati defusae quantitas aequalis iterum adfundebatur, id quod tam diu repetitum est, quam diu aqua cum pice liquida sufficienter sese conjungebat. Sed quia qualitatem aquae piceae inaequalem hoc modo obtineri necessario oportuit, Berkeley aliam praescripsit comparandi rationem: quatuor enim aquae partes ad partem picis liquidae unam infusas bacillo tria vel quatuor momenta versabat, atque mixtura, ut pix liquida bene considere posset, in eodem vasculo relinquebat; quo facto aquam defusam in vasculis vitreis, embolo bene clausis, in usum servabat.

In altera libri editione idem auctor aliam etiam rationem constituit: quatuor nimirum aquae partes et partem picis liquidae unam confundens apto bacillo quinque aut sex momenta versabat, vasculoque recte obtecto per tres dies noctesque relinquebat; liquore deinde colato, aquam in vascula commoda infusam in usum retinebat. Cujus aquae semilibram mane ac ve-

spere ventriculo jejuno quotidie porrigi jussit, qua vero in re, ut res ferebant, et qualitatem et quantitatem saepe mutavit. Pari modo, utrum pro temporibus calida, an frigida sumeretur, rationem habuit, quum individuis quibusdam hanc vel illam melius convenire observasset.

Berkeley, ut supra memoratum est, primum aquam piceam variolis laborantibus, etiamque uti praeservativum adversus easdem praebuit, atque Clantwell eam in his tantam vim edidisse testatur, ut insitionem adeo irritam redderet, ejusque ope, epidemia funestissima infestante, multis subsidio veniret Ill. a Rosenstein. (Conf. Narratione of the Succefs of Tar-water 1746. p. 158.) Hunc in finem, ut liberis mane ac vespere scyphus vinarius minor aqua picea impletus ad bibendum porrigeretur, imperatum est.

Neque minus in Suecia adversus variolas pix liquida tam medicamentum, quam praeservativum posteriori tempore adhibita est, ubi liberis, febre variolosa ingruente, picis liquidae tantum guttarum, quantum annorum exegerant, praebebatur, cujus virtutem ipse Wallerius, non credulus alioquin auctor, aliquoties se esse expertum affirmat. (Conf. Murray apparat. medicaminum, Goettingae 1743.)

Praemissis igitur, quae spectant ad id, quemadmodum temporibus antiquioribus hocce remedium adhibitum fuerit, quodque egomet ipse ex iis, qui hac de materia exsistunt, libris haurire potuerim, inquiramns jam, in quibusnam morbis pix liquida quoad diversas ejusdem formas tempore novissimo re vera adhibeatur, atque ubi alioquin in usum vocari cum utilitate possit.

Pix liquida, interne data, sicuti omnia ipsi similia et resinacea et balsamea remedia, medendi vim praecipue in systema se- et excretionis exserere videtur, unde inprimis quoque in morbosis vitae vegetativae systematum atque organorum affectionibus, prae ceteris vero in illis, quae variarum se- et excretionum munia explent, superficiebus usurpatur. His autem in rebus praesente laxo et otioso cumque profusa secretione conjuncto statu quam optime agens, ope virium suarum, circulationem sanguinis adjuvantium, organaque secernentia impellentium, obstructiones tollit.

Praeter praestantissimam hanc efficacitatem, quae a pice liquida in systematis irritabilis compages exercetur, pro oleo empyreumatico nervos etiam excitantibus roborantibusque virtutibus gaudet, quas praecipue in vitae reproductivae, systematis sic dicti gangliorum, nervos exserit.

Ubi igitur in morbosis supra nominatis affectionibus erethismus simul nervosus spasticique ex suppressa functione sensibili profecti status exsistunt, pix liquida ope olei empyreumatici, vim functionum nervorum internam augentis, effectus certe praestantissimos provocare potest.

Contraindicationes pro ejusdem usu in universum mala digestio, diathesis inflammatoria, plethora, locales cum charactere inflammatorio affectiones, atque, ut paucis absolvam, affectiones omnes, quae adhibendis resinis balsamisque obstant, habendae sunt. Neque tamen aquae piceae usum, praesentibus certis, quae e sequentibus elucebunt, conditionibus, multo latius patere animadverti opus est.

In- et contraindicationes usus picis liquidae externi quoad diversas formas atque superficies, ubi applicatur, in universum ab usu ejus interno haud discrepant; quamobrem in singulis morbis, in quibus tam internus, quam externus est indicatus, utrumque conferemus.

Ad superficies, ubi pix liquida inprimis agere atque efficax esse potest, cutis externa, intima organorum respirationis, tractus intestinalis, et urinalium et genitalium organorum tunica pertinent, sicuti quoque in quibusdam dyscrasiis et cachexiis usum ejus multum valere negari nequit.

Morbi cutis chronici procul dubio illis, quae tam saepe adhibita remedia irrita reddunt, affectionihus sunt adnumerandi, neque raro tam leviter instituta augendae cutis functionis indicatio hujusce rei causam procreat. Atque cujuslibet diutius indurantis cutis desorganisationis causa plerumque vel in laxa et debilitata ejus tela, ubi igitur morbus mere localis, vel in ea, quae in organismo est, dyscrasia, cum inclinatione excretionis ad cutem conjuncta, versatur; in quo casu posteriore praesenti dyscrasiae remediis sic dictis specificis, interne datis, quorum plurima in processum agunt vegatativum, materiis liquefaciendis inserviunt, in universum omnem se- et excretionis apparatum adprehendunt, resistendum est. Itaque pix liquida, quin ipsi in ejusmodi morbis vim quandam specificam tribuas, hic tamen mea quidem sententia in usum vocari certe potest. Inclinat enim, id quod negari haud potest, ad efficiendas ex organismo in cutem excretiones, huic organo, uti tam multa alia remedia, tonum non eripiens, neque laxitatem auctamque sensibilitatem relinquens.

Provocatus pice liquida in cutem effectus majore auctae cutis secretionis perduratione notatur, sicuti quoque eo, quod hic non fugace solum sensibilium atque irritabilium cutis actionum excitatione producitur, sed quod efficaciore fortioreque cutis organi metamorphosi vegetativa procreatus apparet. Quapropter inprimis magna cum utilitate adhibetur, si cutis frigida est et pallida et atonica, adeoque in sudores profusos, si ex cutis tantummodo atonia et incipiente in ea colliquatione proficiscuntur, agere potest. Cujus rei optima argumenta supra memoratum scriptum, ab Alexandro Crichton editum, praebet, ubi, omissis omnibus remediis internis, solummodo ope picis liquidae suffumigationum, in phthisi pulmonum colliquativa adhibitarum, sudores quidem initio aucti, sed postea sine omni totius organismi detrimento prorsus remoti sunt.

In ejusmodi cutis affectionibus interne praeberi pix liquida sola potest in pilulis cum farina aliove pulvere, vel etiam praeter alia remedia aqua picea uti forte remedium secundarium sumenda est. In lepra, praecipue in constitutione torpidissima magnoque cutis torpore Richterus (conf. Therap. special. Tom. VI.) picem liquidam interne usurpandam commendat, et Willan in usum externum hoc laudat unguentum:

℞ Picis liquidae,
Sevi ovilli aa partes aequales.
M. f. unguentum. D. S. Ad illiniendum in lepra.

Picis liquidae dosis ad usum internum est gr. 4 — 20.

Jam antea, ac praecipue quum primum aqua picea

innotuit, pix liquida contra scabiem optimo successu et interne et externe est adhibita, etiamque Richterus (conf. Therap. special. Tom. IV.) eam, quum et in pilularum et aquae piceae forma adhibeatur, adversus pertinacem scabiem commendat, atque hic sine dubio, si tota ad universalem cachexiam scabiosam adest inclinatio, pro salubri sanguinem purgante remedio habenda est. Wylie mixturam in usum externum sequentem laudat:

℞ Picis liquidae ℥ji.
Fl. sulphuris ℥ß.
Cerae flavae ʒji.

M. f. unguentum. D. S. Mane ac vespere ad infricandum pustulis scabiosis.

Usus picis liquidae, tum interne, quum externe datae, ac praecipue aquae piceae, in herpetibus, scrophulosis et syphiliticis exanthematibus, ulceribus phagedaenicis, doloribus ossium magnam praestitit utilitatem. Acharius quoque in talibus affectionibus ad libr. 2 — 3 quotidie sumi jussit, neque minus praestantem salubremque se praebuit, si quis ea in forma aquae lavando inservientis contra lenticulas tineamque capitis utebatur.

Comparatio aquae piceae hodierna hoc modo instituitur: Ad picis liquidae partem unam aquae partes quinque perfunduntur atque agitantur; quo facto per horas duodecim intactae relinquuntur. Exinde aqua flava, odore empyreumatico acidoque sapore, acidum empyreumaticum atque aliquid ejusdem virtutis olei continens obtinetur. Quot igitur et quanta utilitas ab usu aquae piceae diaetetico propter praestantes ejus partes

constituentes est speranda, inprimis quum alia remedia, quae ad cutis functiones et in universum ad secretiones leniter adjuvandas potissimum porriguntur, plerumque digestionis organorum laxationem relinquant, et inde saepius non perferantur. Berkeley in omnibus casibus, in quibus alioquin species pro decocto lignorum indicatae erant, aquam piceam praescripsit, quam etiam Richterus (conf. Tom. VI. p. 377.) in spasmis commendat, ubi, si stomacho laboratur, potiones relaxantes haud patiuntur aegroti, atque ubi tamen succos tenaces extenuare, perspirabiles reddere, et omnino omnes se- et excretiones modice augere velis.

Ad superficies porro, ubi praecipue picis liquidae efficacitas late patet, intima quoque organorum respirationis tunica pertinet. Qualis in cutis affectionibus, hujusce remedii usum requirentibus, talis etiam hic, si quis picem liquidam non in damnum, sed in salutem potius adhibere velit, organorum respirationis affectionis conditio esse debet. Status laxus, cum abnormi secretione conjunctus, nec non in comminuta sensibilitate fundatus, minime debet abesse, si pice liquida in organorum respirationis affectionibus cum utilitate uti velis. Ubi igitur vigente pectoris affectione status inflammatorius, vel nimis plethoricus vel tantummodo congestivus adest, ex ejusdem usu summa incommoda sequerentur. Nihilominus complures, quas hac de re in libris inveni, observationes, sicuti quoque nonnullae earum, quas egomet ipse institui, conditionibus modo nominatis aliquantulum favere videbantur; quod vero potius falso institutae diagnosi, quam ei, quae contraindicatio habita est, conditioni attribuerim, praesertim

quum de pulmonum affectionibus tam multae inter se discrepantes sint opiniones, quae etiam res illarum diagnosin, jam alias tam difficilem, magis insuper in dubium revocat.

In tunica organorum respirationis intima haud raro occurrunt morbi conditiones, in quibus a sola circumscriptione vel cohibitione abnormis secretionis, periculosa aegroto molestaque affectio vel adeo ejus vita dependent. Harum quidem affectionum tractatio summam profecto cautionem postulat, quum non facile in alio quodam organo ex suppressis, quae adsunt, secretionibus majora damna possint proficisci, quam in pulmonibus, quorum quidem functio proximo respectu appellanda est processus tantum egestionis, cujus in turbatione hujusce organi status pathologicus, qui plurimum invenitur, consistit, atque unde plurimae etiam in eorum organisatione abnormitates vitiosae deduci possunt.

Sed quonam quidem successu ea, quae ad removendas pathologicas in pulmonibus secretiones commendata sunt, remedia adhibeantur, satis constat. Atque eorum nonnulla, irritabilem sensibilemque actionem, quae in quavis abnormi secretione, ac praecipue hic magis minusve praesto est, augentia, nocent, nec minus alia, superficiem secernentem nimis fortiter subitoque inhibentia atque exsiccantia, offendunt. Ac si cum laxo statu pulmonum consociatus alius quidam totius organismi ab illo non abhorrens simul aderit, hoc nostrum remedium, interne datum, sicut cetera omnia ipsi similia turbatae digestioni atque depressae non prodesset; ubi vero ejusmodi malum est locale, intimaque

modo pulmonum tunica circumscriptum, resinacea remedia et balsamea, cum iisque pix liquida habenda sunt specifica.

In hisce quidem adlatis statibus morbosis majore procul dubio sunt utilitate et celeriore successu comparati ex pice liquida vapores, faustosque eventus, quos ex instituto eodem tempore picis liquidae in pilulis et aquae piceae usu procreatos vidi, magis tamen vaporibus attribuerim. Et quid exspectandum quoque de remedio erit illo, cujus valida efficacitas nequit in dubium trahi, quod non cum parte solum affecta mitissime contactu consociatur, verum etiam hinc tam celeriter cetero toti organismo tribuitur.

Picis liquidae vapores initio, quum adhibentur, omnium minime irritantes ac fervefacientes in pulmonibus secretiones adjuvant, mucus etc. frequentius faciliusque ejicitur; sed in usu paululum longiore superficiei secernentis metamorphosis quavis directione confirmata atque accelerata procreatur, atonia removetur et laxitas, atque, quo minus muci productio in verum transeat depravationis ac solutionis processum, impeditur.

Quod hic vero picis liquidae vapores magis etiam commendat, id in tam salubri ac necessaria aliorum excretionis organorum excitatione versatur, quae alioquin in pulmonum affectionis incommodum aliis remediis efficiatur necesse est. Neque minus functio cutis, et alvus et urinae excretio, quarum justam functionem respicere semper oportet medicum, eodem tempore incitantur atque in recta actione conservantur. Quod

quidem in omnibus experimentis, cum picis liquidae vaporibus a me institutis, ubi commilitonum meorum complures semper praesto erant, in nobismet ipsis perpetuo se manifestavit, quae experimenta quum altera vice repetissem, lenis adeo alvi profusio mihi apparuit. Atque unus ex amicis, constitutione omnino sana ac robusta, quum saepius et ipso experimentorum priorum tempore alvi obstructione et ad caput congestionibus laborans casu fortuito picis liquidae suffumigationibus adesset, alvi stipatio et congestiones ad caput removebantur, atque in universum vires in statum ejus tam benignae exserebantur, ut hoc eventu permotus suffumigationibus hisce nunquam fere deesset, et hoc ipso tempore ipsis interdum utatur.

Quum in universum picis liquidae vapores in talibus morbi pulmonum conditionibus, ubi sensibilitas concidit, utiliter adhibeantur, id, quod ex usu priore proficiscitur, si forte diagnosis fuerit dubia, in tuto nos ponit, utrum in usu eorum pergi, nec ne, debeat, et in qualibet quidem pulmonum affectione commode adhibentur, in qua tussis non augetur. Sed pulmonum morbi, in quibus picis liquidae vapores congruunt, asthma humidum et catarrhus chronicus phthisisque pulmonalis sunt. In his morbis, quemadmodum ex usu directo facile intelligitur, celeriter agunt, et id quidem, si quid impedimenti, quod ex supra dictis praesumi potest, ipsis non obstat, miro cum effectu valetudinis; angor enim et tussis minuuntur, sputa magis mollescentia primo tempore frequentia veniunt, deinde sensim sensimque comminuuntur, indolemque accipiunt

meliorem. Crichton experimentis suis potissimum homines, jam aliquanto aucta phthisi laborantes, tractavit, atque in illis, qui phthisi pulmonum scrophulosa aut tuberculosa erant affecti, eventus optimos vidit. Pari modo picis liquidae vapores ulcera sanare, ipsamque tuberculorum inflammationem dissolvere videri, affirmat. In vomicis magni ambitus, atque in universum in personis, temperamento sanguineo gaudentibus, in quibus celeriter progrediatur suppuratio, parum tantummodo vapores hicce prodesse dicuntur, quum magna materiae purulentae copia, quo minus aër circumjectus, ejusmodi vaporibus impletus, vim exserere possit in ulceris superficiem, impediat.

Si in phthisi incipiente non aderit status inflammatorius, vapores hicce in usum vocari sine dubio possunt. Egomet quoque ipse tres vidi casus, in quibus in tussi jam diuturna, quae modo major, modo mitior fuerat, cumque sputis conjuncta, ac praesentibus simul levibus febris motionibus, et in pectore pressu et modico asthmate, atque ubi primum phthiseos tuberculosae stadium non erat ignorandum, quatuor hebdomadibus provocata est sanatio. Atque in uno horum casuum nuperrime morbus recidit, qui vero adhibitis per nonnullos dies hujusmodi vaporibus removebatur. Familiarium meorum unus, constitutione robustissima, supra sex annos conjuncta cum sputis tussi, pectoris pressu vehementer laborat, quae quidem affectiones nunc in meliorem, nunc in pejorem conditionem abeunt, neque ullo modo dispositio adest phthisica. Is quum jam antea suffumigationibus ex pice liquida comparatis, ac

optimo semper successu usus fuisset, iisdem et nunc non sine affectionum decremento se iterum exponit. Ac si ejus conditio ita esset comparata, ut continuo hujusce remedii usu frui certo tempore posset, statum ejus jamdudum fuisse omnino remotum, persuasum habemus. Malum autem, ut videtur, in neglecto catarrho chronico consistit, qui tam longe indurans, jam fortasse initium phthiseos procreavit.

Atqui non solum in primo phthiseos pulmonum stadio, sed in ultimo etiam exulceratae picis liquidae vapores utiliter adhiberi possunt, quorum ope etiam Crichton sanationem, quantum fieri potest, perfectam provocavit. Aegroti, sudoribus colliquativis atque diarrhoeis adfecti, qui alioquin morti fuissent traditi, quum cetera remedia omnia nihil prodessent, vaporibus picis liquidae conservati negotia obire potuerunt, et morbus, quotiescunque reciderat, repetitis suffumigationibus illis brevi repellebatur.

Quamquam id, quod tempore seriori de picis liquidae vaporum effectibus experientia cognitum est, non optime, ut divulgabatur, evenit, multi tamen medici et praxi felices et experientia maxime probati, se ipsos ex eorum usu multum utilitatis conspexisse, mihi affirmarunt. Atque Lorinser in opere, quod de morbis pulmonum agit, (Berolini 1823.) contendit, in hominibus, in quibus, effecta cavorum tuberculorum curatione, immodica adhuc semper in respirationis organis secretio adsit, et ubi catarrhus pulmonalis chronicus, phthisis, ut dicit, sic dicta pituitosa, re vera sit evolutus, chinam, myrrham, lichenem Islandicum, balsamum co-

paivae et picis liquidae suffumigationes omnibus aliis remediis esse praeferenda. Equidem etiam in asthmate, ubi saepissime affectio bronchiorum catarrhalis sese ostendit, atque ubi pulmonum corroboratio, et catarrhalium muci secretionum cohibitio remedia medico destinant, picis liquidae vapores aptum esse remedium arbitror.

Quod ad vaporum eliciendorum modum attinet, ego quidem eum, quo Crichton utitur, optimum habeo. Vas nempe vel testaceum vel porcelanicum, pice liquida impletum, lucernae spiritu flammatae superpositum, fervidum redditur, ita tamen, ut pix liquida non incendatur. Cetera vero picis liquidae vapores evolvendi genera, e. g. si in vasculum picis liquidae plenum injicitur ferrum candens, vel si olla ferro candenti superponitur, equidem suffumigationibus in valetudinariis apta esse non puto, quae vero in magnis nosocomiis et grassantibus morbis epidemicis ad purgandum aërem sine dubio aptiora forent, quam tam multa alia, quae in eundem finem instituuntur. Neque vero unquam in suffumigationibus, ope lucernae spiritu incensae effectis, atque in aegrotorum curationem a me institutis, ipsos capitis doloribus, sed initio tantum sensu gravedinis, qui vero in usu continuato mox evanescebat, correptos esse animadverti. Aegrotis in hisce vaporibus spirare valde placuit, ac semel tantum, quum ob diruptum lucernae superpositum vasculum pix liquida incensa fuisset, pressus in pectore tussisque advocabantur. Permulti quoque medici iis, qui phthisi laborant, commorationem in silvis abiegnis commendant, ubi vero res etiam alias, quam abietum exha-

lationes, aegrotis impulsum praebere atque laxamentum verisimile est. Quare autem iidem non etiam picis liquidae suffumigationes in usum trahant, quum tamen solummodo ab ipsis, quantitatem vaporum, quibus aër impletur, destinare, dependeat, haud intelligo. Neque minus, me quidem hujuscemodi vaporibus aequaliter praegnantem aërem vaporum ex quibusdam machinis evolutioni praeferre, facile intelligitur. Etenim his pulmones nimis intenduntur, subitaque vicissitudo eventus tantummodo perniciosos advocare potest.

Sed in morbis quidem tubi intestinalis nonnisi aqua picea in usum vocanda erit, quoniam pix liquida pura majorem digestionis facultatem, in variis hujus organi affectionibus multis obnoxiam turbationibus, ad assimilationem postulat. At vero praesente statu verminoso, cujus causa in laxitate quadam, immodica muci productione conjuncta, versatur, pix liquida propter inhaerentem ipsi nervos gangliorum et excitantem et roborantem, atque in muci secretionem et in universum in abdominis organa omni directione efficacem vim magnam praestaret utilitatem. Unde igitur pro anthelmintico etiam erit habenda, qua ex causa ob oleum ejus penetrabile inprimis adversus taeniam commendata.

Multum quoque, ut opinor, aqua picea in tunicae intestinorum intimae exulceratione, tam crebro occurrente, ac praecipue etiam cum phthisi pulmonum saepe simul conjuncta, pollicetur. Praesentes hic diarrhoeae optimis saepe remediis resistunt, vel effectu eorum celerius supprimente affectiones noxiae adducuntur. In hoc vero casu mea quidem sententia aqua picea utile foret

subsidium, si, ut aegroto sapor ejus aliquantulum melius se haberet, prospiceres, quod forsitan ope cinnamomi, vini aut sachari etc. effici posset. Annon fortasse etiam in hoc malo a vaporibus picis liquidae, in clystere applicatis, aliquid sit exspectandum, nondum dubitaverim, licet a medico quodam nostrate instituta experimenta, ut ex amico percepi, haud suffecerint.

In organorum urinalium genitaliumque morbis adhiberi pix liquida potest, si in muci profluviis et laxo vel adeo exulcerato tunicae intimae statu nituntur, qui status si torpidissimus erit, neque quidquam ab effectu fervefaciente metuendum, usurpanda esset pix liquida, sicuti quoque balsamum peruvianum, dosi secundum Vogtium cum illa aequali, adeoque in multis casibus huic praeferenda. Neque vero potest dubitari, quin in blennorrhoea urethrae chronica magnam utilitatem aqua picea adferat; nonne vero etiam ineunte gonorrhoea, ubi status non aderit valde inflammatorius, ea commode in usum vocari possit? Jamque a Berkeley fuit in chlorosi commendata, ubi procul dubio uti subsidium una cum aliis aptis remediis multum valet emolumenti praestare. Neque minus in fluore albo picis liquidae suffumigationes, hic tam facile applicandas, utilissime usurpandas censeo.

Praeter commemoratas in exanthematibus cachexias et dyscrasias, ubi picis liquidae usus est utilis, insuper etiam et in ictero et hydrope scorbutoque prodest. Richterus aquam piceam in ictero commendat, in modum aliarum potionum diaeteticarum, e. g. seri lactis et succi betulae sumtam, in abdominis hepatisque re-

gionis obstructionibus una cum statu vasorum systematis irritato, in obstructione sic dicta calida, ubi fortia remedia laxantia non sunt apta. Atque in hydrope, ex intestinorum obstructione profecto, ab usu ejus diaetetico propter effectum in organa abdominis glandulosa leniter irritantem multum certo exspectandum est. Neque minus picis liquidae vires medicatrices etiam antisepticae jamdudum agnotae sunt, atque temporibus episcopi Berkeley aqua picea tam interne, quam externe contra status scorbuticos crebro est adhibita; quumque ex partibus ejus constituentibus, quanta ipsi inhaereat vis medicatrix, satis eluceat, hic quoque, quemadmodum hoc forte remedium in organismum vires suas exerceat, latius exponere, supervacaneum esse arbitror.

VITAE CURRICULUM.

Ego Ludovicus Elbers, anno MDCCCVI. Hagenae, Guestphaliae oppido, patre dilectissimo Joanne Henrico Elbers, et matre optima Friderica, e gente Neuhaus, quibus adhuc viventibus summopere gaudeo, natus, confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum rudimentis Hagenae a Zimmermann, pastore reverendissimo, doct. Hülsmann et doct. Consbruch, praeceptoribus, instructus, a parentibus meis anno MDCCCXXII missus sum ad gymnasium, quod Tremoniae directore cel. Kuithahn floret. Duos per annos ibidem moratus, examineque abiturientium abso-

luto, Goettingam, testimonio maturitatis munitus, tempore autumnali anni MDCCCXXIV me contuli, ubi prorectore t. t. Magnifico Steudlin in civium academicorum numerum receptus, nomen apud facultatem medicam sum professus. In hac studiorum sede hasce per tres annos praelectiones frequentavi:

Cel. Krause de logice et encyclopaedia philosophica; ill. Conradi de encyclopaedia medica; ill. Blumenbach de historia naturae; ill. Schrader de botanice universali et medica; ill. Maier de physice; ill. Stromeyer de chemia; ill. Hempel de osteologia, syndesmologia, physiologia, nec non de anatomia pathologica; ill. Langenbeck de anatomia, chirurgia et ophthalmiatrice; ill. Langenbeck et ill. Hempel de arte practica rite dissecandi cadavera; ill. Himly et ill. Conradi de pathologia et therapia universali; ill. Himly de pathologia et therapia speciali; ill. Conradi de febribus, inflammationibus atque exanthematibus; cel. Kraus de materia medica disserentes audivi, neque ill. Langenbeck chirurgico - clinicis exerci-

tationibus, et ill. Conradi medico-clinicis praelectionibus defui.

Quibus scholis frequentatis anno MDCCCXXVII universitatem Berolinensem petii, ubi ab ill. Bethmann-Hollweg, Rectore Magnifico, universitatis albo adscriptus, et ab ill. Rudolphi, medicinae facultatis t. t. Decano, in medicinae studiosorum numerum receptus, hisce usus sum praelectionibus:

Illustr. Horn mentis morbos et syphiliticos; cel. Schlemm angiologiam et neurologiam; cel. Reich morbos contagiosos; ill. Mitscherlich chemiam; ill. Kluge artem obstetriciam mihi tradiderunt. Ill. Knape et ill. Rudolphi instituerunt me in arte cadavera rite dissecandi. Praeterea quoque exercitationibus clinicis perill. Hufeland, ill. Osann, et ill. Busse, ill. Bartels, cel. Wolff, ill. Graefe, ill. Rust et ill. Kluge interfui. Neque minus cel. Sundelin de variis medicinae materiis, doct. Herzberg de arte fascias rite applicandi, de luxationibus et fracturis privatim disserentes audivi, nec non cel. Schlemm

in faciundis in cadavere operationibus moderatore usus sum.

Jam tentaminibus tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vulnera intestinorum prolapsorum sutura Lembertiana sunt sananda.

II.

Tussis convulsiva morbus est spasticus.

III.

Medicina et chirurgia intimo inter se vinculo cohaerent.

IV.

In ligatura vasorum ligatura lata rejicienda.